



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. III LITTERAE DECRETALES **PRAEDICA VERBUM** QUIBUS BEATO CAROLO IOSEPHO
EUGENIO DE MAZENOD

SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR Ad perpetuam rei memoriam – «Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, increpa, obsecra in omni patientia et doctrina... Tu vero vigila in omnibus, labora, opus fac evangelistae, ministerium tuum imple» (*2 Tim 4, 2.5*). Hanc Paulinam adhortationem ad effectum mirabiliter perduxit beatus Carolus Iosephus Eugenius de Mazenod, episcopus Massiliensis et conditor Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae. Missionarius et supremus pariter Moderator illius Congregationis, vires impedit cunctas ad Evangelium nuntiandum iis omnibus qui aut id in oblivionem adduxerant aut nullo umquam tempore audiverant. Dum ipse episcopali munere fungeretur et plurima subiret incommoda, errores palam obiurgavit et adversus publicas sui temporis potestates veritatem vindicavit, praesertim quando alii aperte loqui dubitabant. Ita se gessit ut suum ministerium ad summum perduceret. Beatus Eugenius die I mensis Augusti anno MDCCCLXXXII Aquis Sextiis, in Australi Francogalliae regione, a nobilibus parentibus est natus. Ob politicam rerum eversionem in ilia natione grassantem, familiares eius proprium statum atque possessiones relinquere debuerunt et e patria fugere. Diuturnis in angustiis versantes, Augustam Taurinorum, Venetas et Neapolim transgressi sunt, deinde Panormum attigerunt. Eugenius, viginti annos natus, in patriam regredi potuit, ubi saeviores instabant in eum provocationes: discessus scilicet a parentibus, amissio rei familiaris, exigua ad opus exercendum praeparatio, Francogallica societas adhuc sceleribus politicae eversionis perturbata. Cum in taeterrima caligine versaretur, gratia Dei lente mutavit eum et coram Crucifixo, quodam die, seu Feria VI in Parasceve aliquid intus ac fortiter expertus est, quod ad sublimiora contuenda adduxit illum. Inde perspicax ortus est census de nimia egestate pauperum, nempe in carcere detentorum, infirmorum, derelictorum. Miseram quoque Ecclesiae condicionem perspicere potuit: paroecias sacerdotibus parentes, tempa derelicta. Deus ad se vocabat eum qui cum illo operaretur. Etenim Lutetiis Parisiorum in seminarium Sancti Sulpicii est ingressus et die XXI mensis Decembris anno MDCCCXI sacro presbyteratus ordine insignitus. Aquas Sextias reversus, quamcumque dignitatis condicionem et promotionem respuit animumque suum ad pauperiores gentes, nempe ad iuvenes, ad ruricolas, ad servos, ad artifices convertit. Spiritum per disciplinam abnegationis et orationis nutritivit; flagrantem erga Christum amorem participavit omnibus quibus per ministerium serviebat. Nonnulli presbyteri, eius ferventi studio incepitisque apostolicis induiti, cum illo se sociarunt et singulos pagos perlustrarunt ad verbum Dei nuntiandum omnesque ad fidei observantiam hortandos. Quamvis nonnulli clerici huic operi adversabantur, Eugenius tamen iter suum firmiter perrexit. Ad opus suum protrahendum, novam condidit familiam religiosam, quam brevi tempore, die XVII mensis Februarii anno MDCCCXXVI, Leo XII approbavit ut Congregationem iuris pontificii et quidem sub titulo «Missionariorum Oblatorum B.M.V. Immaculatae». Qui sodales novum tulerunt impulsu fidei, quae, ob abiectum turbulentae Francogalliae paganismum, in deterius crudeliter ruebat. Anno MCMXXXVII Beatus Eugenius in novum campum apostolatus vocatus est uti episcopus Massiliensis, et quin viribus parceret, totum intendit animum ad hanc vetustam dioecesim restaurandam. Verbi Dei

nuntium et sacramentorum receptionem in paroeciis fovit; clerum reformatum curavit et Ecclesiae munus nec non iura Summi Pontificis vindicavit; intrepido se deduxit animo in conspectum auctoritatum regionalium et nationalium, et coram suo populo validae fidei exemplar est factus. Ut verus pater suae dioecesis se gessit et iure meritoque Massiliensis Ecclesiae instaurator haberi potest. Congregatio ab illo condita et sub eius moderamine ducta inconcussam stabilitatem in dies est adepts. Numquam vir fuit qui provocationem respueret cum «de gloria Dei, de utilitate Ecclesiae ac de salute animarum» agebatur; sodales suos misit qui ut missionarii Europam percurrent, praesertim Helvetiam, Angliam et Hiberniam; Canadam, Foederatas Civitates Americae Septentrionalis, Srilancam, Africam Australiem et Lesothum. Cor eius «sicut mundus ingens fuit» et ipse propter suam missionarium visionem uti «alter Paulus» aestimatus est. Confinia Massiliae nimis angusta sibi videbantur. «Omnia sunt probanda dummodo Christi regnum magis in dies diffundatur», haec fuit eius sententia et veluti scaturigo eius universae operae. Die XXI mensis Maii anno MDCCCLX, laboribus consumptus, amore tamen inflammatus, ad Patrem transiit. Eius fama sanctitatis post mortem increbrescente, anno MCMXXVI inita est beatifications et canonizationis Causa ac decretum de virtutibus heroum in modum exultis die X mensis Iulii anno MCMLXX est promulgatum; postea decretum prodiit de duabus miris sanationibus, intercessioni Beati Eugenii adscriptis; qua de re Decessor Noster Paulus VI, bo. me., die XIX mensis Octobris anno MCMLXXV, die in universa Ecclesia Missionibus dicato, intra Eucharisticam celebrationem, ei Beatorum honorer sollemniter decrevit. Deinde canonica instructa est per vestigatio de quadam mira sanatione anno MCMLXXXVII Mexici patrata. Haec mira sanatio suetis medicorum ac deinde theologorum inquisitionibus apud Congregationem de Causis Sanctorum est subiecta et felici quidem cum exitu. Ita Nobis coram die XV mensis Decembris anno MCMXCIV decretum super miraculo est evulgatum. Deinde, auditis faventibus sententiis Patrum Cardinalium et Episcoporum a Nobis in Consistorium convocatorum die X mensis Aprilis anno MCMXCV, decrevimus ut Canonizationis ritus die III mensis Decembris eodem anno celebraretur. Hodie igitur in Sancti Petri Basilica Vaticana inter Missarum sollemnia hanc sumus formulam elocuti: «Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianaee incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatum Eugenium de Mazenod Sanctum esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eum in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione esse recolendum. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti». Deinde, Deo gratiis redditis, caeleste eiusdem primi invocabimus patrocinium et augustiore ritu divinum sacrificium ad ipsius pariter honorem facere perrexi mus. Quod autem decrevimus, volumus et nunc et in posterum tempus vim sortiri, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus, quandoquidem per totum hoc Pontificatus Nostri tempus experimur expertique novimus, quo plures viri mulieresque sanctimonia praestantes ab Ecclesia Matre publico agnoscantur cultu ad imitandumque proponantur, tanto quidem plus sensum ac studium sanctorum inter christifideles morum et vitae christianaee consuetudinum meliorum auctum deinceps iri, eodemque tempore spectantes honestiorem christianorum vivendi rationem nondum credentes vehementius permotum pariter iri ad Christi Iesu Nazareni investigandum salutare evangelium vitaeque actione suae impletendum. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die tertio mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.* EGO IOANNES PAULUS II Catholicae Ecclesiae Episcopus Eugenius Sevi, Protonot. Apost. © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana